





16  
J. B. J.  
DE  
MODO PERVENIENDI AD  
IMPERIUM PRÆCIPUO,  
ELECTIONE, 20  
1688, 4.

In alma Argentinensium universitate,  
MODERATORE,  
VIRO MAGNIFICO, NOBILIS-  
SIMO ATQUE CONSULTISSIMO,

6019  
DN. JOHANNES REBHAN,  
Jcto, Palatii, Aulæque Cæsareæ  
Comite, S. R. J. diversorum statuum Consilia-  
rio, Cod. & Feud. Professore, Facult.  
Jurid. Seniore.

*Domino suo Doctore, Patrono ac Hospite omni  
observantia cultu æternum devenerando*

SOLENNI

*eruditorum Examine subicit*

CAROLUS FRIDERICUS

von Beust / Eq. Thur.

ad diem 5. Junii h. lq; solitis.

ARGENTORATI, Typis JOHANNIS





ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,

DN. HERMANN O  
von Wolfframsdorff/

Dynastæ Satrapia Mugelensis & Kosterici, &c.

Elect. Serenit. Saxon. Consiliario

ab intimis, Supremo Capitaneo Circuli Lipsien-  
sis, nec non Capitaneo Lipsiensi, Coldicensi,  
Leisnicensi, Bornensi, Grimmensi longe  
meritissimo.

*Domino Mæcenati Patrono ac Promotori  
jugali observantia aeternum colendo.*

Exercitium hoc seque ac spes  
suas universas

Commendat ac consecrat


Autor.



In Nomine Domini nostri JESU CHRISTI  
ad omnia Consilia omnes actus semper pro-  
gredimur l. 2. Cod. de Offic. Præf.

Præt. Africae.

I.

Um nemo naturâ Rex in hac vita  
existat, sed, quilibet talis ab alio consti-  
tuatur; nimirum vel electione, vel Suc-  
cessione, ita ut præter hos duos modos  
alius non detur, pro instituti nostri ra-  
tione, placet modum illum primum considerare, quo  
aliquis ad Imperium evehitur Electione: Successio-  
nem alio tempore contemplaturi,

II.

Ne verò statim in limine remora nobis ponatur,  
productione Adami, qui à Deo constitutus est  
Dominus mundi, non tamen Electione, nec succes-  
sione, utrumque, quia fuit primus, quo ipso alii suc-  
cedere non potuit; non electione, quia illa plurium  
est: at ille solus erat. E. neque Electione neque suc-  
cessione. Quare vel naturâ, vel alio aliquo modo,  
divino scilicet utpote à quo Summo scilicet Numine imperia  
constituta sunt, & principatum termini naturales po-

A 2

siti,

fiti, nec non characteres Principum divini, auxilia vires & opiniones hominum superantia, eventus admirabiles, administrationes à voluntate Dei dependentes & infinita alia. Unde Hiob dicit *c. 12. v. 18.* Deum Balteum dissolvere regum, & renes eorum fune præcingere, *vers. 21.* effundere despectionem super principes, & eos, qui oppressi erant relevare. Jehovah esse, qui redigit principes in nihilum, Judices terræ velut inane facit. Sic Imperium Cæsari à cœlesti Majestate traditum, ait Justinianus *l. 1. Cod. de vet. Jur. enucl. in princ. Constit. de Concept. Digest. Nov. 28. c. 4. in fin ibi.* hanc nos gratiam Deo referendam putamus, qui Imperii nobis coronam imposuit. Recess. Imperii de Anno 1570, Spiræ in princ. Can. 6. & 11. distinct. 96. unde etiam illa fluxit formula: **Wir von Gottes Gnaden.**

### III.

Dicendum tamen est, necesse non esse, ut hic modus, tanquam ab Electione & Successione esset diversus, peculiariter adducatur, cum omnibus Imperiis & Regnis sit communis: commune autem qua commune tacitè præsupponitur, & non tanquam quid peculiare explicatur, uti rectissime docet Arniæus *in Relect. Polit. l. 1. c. 1. s. 3. n. 2.* Deinde alio respectu recte dicitur, etiam constitutionem Adami, à Deo ad mundi administrationem fuisse nihil aliud, quam Electionem, non obstante eo, quod Electio plurium sit, non ubi unicum aliquod est. Siquidem Deus Ada-

mo

in modum dominium mundi non necessario, sed liberè commisit, quia si voluisset aliud committere, sane alios producere homines potuisset: quia verò ex istis possibilibus hominibus nulli alii dare voluit, elegit, solum hunc, Adamum, ex istis possibilibus tantum existentem, & alios plures futuros expectare noluit.

IV.

Præter allata ulterius nobis negotium facere videntur, modi, quibus ad Imperium perveniri potest, Donatio, Matrimonium, Testamentum, Præscriptio, Sors, Confraternitas, sive Pactum Gentilitium. Verum respondendum est, hæc omnia ad electionem referenda esse, nec nova acquirendi genera constituere, sed tantum ad modorum accidentia spectare, ut petenti explicaturi sumus.

V.

Observandum autem hic est, nos loqui de modis acquirendi legitimis, non de violentis, quos inter referenda esset occupatio bellica, item obtrusio per vim, uti fecit Tarquinius superbus, qui patrum primoribus interfectis, regnum rapuit: per fraudes, largitiones & suffragiorum emptiones, quales etiam sunt prohibita in Electione Regis Romanorum in Imperio nostro, *in Aur. Bull. c. 2. §. 2.* ubi in Juramento, quod Electores præstare tenentur antequam ad Electionem progrediantur, hæc continentur: & secundum fidem prædictam, vocemq; meam & votum, seu electionem præfatam dabo absque omni pacto, sti-

pendio, pretio seu promisso, vel quocunque modo  
talia valeant appellari, sic me Deus adjuvet.

VI.

Quid, quod talem per pretium & emtionem  
factam electionem, illegitimam esse, inde nonnulli  
pro bent, quod Elector, pecuniam pro suffragio acci-  
piens, suffragio amittat. *Vid. Matthias Stephani d. Juris-*  
*dict. l. 2. part. 1. c. 5. n. 30. Sinold. Schüz. volum. 1. Jur. publ.*  
*disput. 2. §. 15. lit. b.* ita ut licet unicus Electorum pecu-  
niam acciperet, tota Electio nulla esset, uti volunt  
Dd. *ad cap. 27. Nobis. De Simonia & ne aliquid pro spi-*  
*ritualibus exigatur vel promittatur. Vid. Panormit. n. 2.*  
*Nec morari debet nostram sententiam cap. utile. 34. it.*  
*c. 22. non debet alterius odio de Reg. Jur. in 6to l. 22. Cod.*  
*de pœnis.*

VII.

Excluditur itaque in legitima Regis Romani  
electione, pactum, etiam gratuitum, *vid. Consil. 96. n. 22.*  
*Menoch. it. Cusan. l. 3. de Concord. Cathol. c. 36.* Et si eligendus  
pactus fuerit de aliquid dando, illud adimplere non  
cogitur. *Castald. de Imper. q. 3. n. 105.* Excluditur pre-  
tium corrumpens, *argt. l. un. ff. ad L. Jul. de ambitu.* ubi  
dicitur: Hæc lex in urbe hodie celsat, quia ad curam  
Principis magistratum creatio pertinet, non ad po-  
puli favorem. Quare populi favorem non amplius  
ambibunt corrumpendo cum munusculis. Et non  
tantum prohibetur in Electione hac, pretii solutio, sed  
etiam sola promissio, per quam æque electio nulla  
reddi-



redditur, quam per realem traditionem *vid. Molina de  
J. & J. disp. 59. n. 6. & seq.*

### VIII.

Et in hoc nobis non obsunt verba in literis è Goldast. ab Ottone c. 10. p. 185. prolatis: **Umb** asssecuration wegen 4500. Pfund Silbers / so einen Churfürsten nach der Wahl gebühret / siquidem verba illa, nach der Wahl / indicant compensationem exantlatorum sumtuum & expensarum, non pactum aliquod suffragis sordidum. *Vid. Tabor. tract. de suffragio, pericope 4. n. 29. p. 211.*

### IX.

Quod si vero diceres, nihilominus unum alterumve contrarium fecisse, ut tamen Electio integra fuerit habita. Responderem: pravorum prava facta, legum substantiæ derogare non posse. Sic de Carolo IV. testatur *Cluverus pag. 613.* ibi empto Coloniensis & Saxonis suffragio, & de Wenceslao *pag. 623.* ibi corrogatis coëmtisque suffragiis. Imperio potitus. *Vid. Arumaus ad c. 2. A. B. pag. 91.* Habemus enim Electores, juramentum suum potius habentes, maxima divitiarum summa ac copiâ. Etenim Fridericus, Elector Saxonix, eum delatum sibi Imperium ad Carolum V. suffragio suo detulisset, à Caroli legatis triginta millia florenorum oblata, constantissime rejecisset, urgereturque, ut tantum decem millia pateretur dari ministris: Accipiant, dixerit, si velint, attamen nemo valebit

bit postridie apud me, qui vel aureum acceperit.  
*teste Scleidano l. 1. histor. Arumans d. l. p. 92.*

X.

Licet porro electionem exponere exemplo Electionis Regis Romanorum, quæ incipi debet à cultu divino, sive juxta Pontificios à celebratione missæ, cui deberent interesse omnes ii, penes quos eligendi hodie potestas est, nimirum Electores, uti constat ex verbis, quando dicitur in omni ipsorum præsentia, Missam de Sancto Spiritu faciant decantari. More Romanorum, qui in Senatu primum de Religionibus & cultu Deorum agere consueverunt, quasi à rebus divinis omnium actionum humanarum initium duci, & in iisdem terminari deberet: conformiter non tantum sacris literis *1. Cor. 10, v. 31, & ad Coloss. 3. v. 17. Canon observetis 26. q. 7.* Sed etiam consuetudini Electorum statuentium, Invocationem nominis divini in instrumentis necessariam esse, *vid. Ungepauer Exerc. 1, q. 1. Schneidervvein ad rubric, Instit. n. 1, Rosbach. in Prax. civil. tit. 62, n. 5.*

XI.

Nota tamen hic, Palatinum, Saxonem & Brandenburgicum Electores, cultui illi Missatico non interesse, utpote quem habent pro Idololatræ, nulloque scripturæ loco nitente, uti hoc Theologi nostri docere solent: Sed in conclave proximum se recipere. Simul ac verò Electores in chorum redeunt. Hymnus ille. Veni Sancte Spiritus intonari solet.

Quæ.

antod. ant. obom. n. XII.

Quæritur hic, An salva conscientia celebrationi Missæ, dum Rex eligitur & consecratur Electores protestantes interesse possint? Respondere solent, si Missa, aliusve sacer actus, ceu cultus divinus, protestantium præsentia approbari & stabiliri debeat, certum est, Evangelicos absque conscientia vulnere Missæ officio interesse non posse: Verum si præsentia Protestantium, non nisi ut officium Cæsareæ Majestati debitum requiratur, sine omni conscientia læsione ipsos comparere & interesse posse, certum est. Exemplo Naamanni 2. Reg. 5. v. 18. Regi suo intranti in templum Remmon, ut adoret & illi innitenti super manum meam, fervientis, ut ignoscat mihi Dominus, servo tuo pro hac re vid. Carpzov. de Leg. Reg. c. XI. f. 7.

XIII.

Unum adhuc probè hic notandum quod dicatur in *Aur. Bull. c. 2.* quod in electione Regis Romani debeant in Regem Rom. futurumque Cæsarem, eligere HOMINEM, justum, bonum, & utilem, pro salute populi Christiani. Cur non dictum unum ex Principibus? Sunt qui dicunt, Carolum IV. universali hac particulâ Imperatorem usum fuisse, ut Gentem & genus excluderet, ad conservandam liberiores electionem. Cui tamen postmodum usus derogavit, qui ad germanicam gentem, Electionem hanc restrinxit, non verò ad certam familiam: Sit enim cujus cujus

B

velit

velit familiæ (illustri tamen) si modo justus, bonus & utilis sit. Nam non est in Electione respectus major habendus ad divitias, ad potentiam & antiquitatem generis, quam ad eas animi facultates ingeniique vires, quæ primario ad gubernationis felicitatem requiruntur.

XIV.

Ex his aliquo modo decidi potest controversia illa gravissima, An Imperatoris Electio ex gente saltem Germanicâ fieri debeat, vel alii etiam exteri ad hoc fastigium dignitatis evehi possint? Qua de quæstione videatur Erycus Beringer in responso juris ad hanc quæstionem. Quæ pro sententia negativa, scilicet solum ex gente Germanâ Imperatorem eligendum faciunt argumenta, nostram conclusionem nondum infringunt v. g. (1) nullibi in Aur. Bull. legitur, Exterum non eligendum, quin potius propter verba indefinita & generalia in cap. 1. pr. § c. 19. permissum videtur (2) propter majorum votorum electoralium libertatem, quæ ad nullam gentem se alligari patitur (3) quia virtus potius quam Patria in electione attendenda, ut propterea Imperator expresse jubeat, ut idoneus eligatur, non vero Germanus (4) nullius ullius legis apex adduci potest, qua prohibitum esset, ne exterus princeps eligatur. (5) Nec consuetudo, quam tantopere crepant, justa ratione prætendi potest, utpote quæ sæpissimè interrupta est, in Alphonso Edoardo & Richardo, Anglis. Ad  
quæ

quæ argumenta quid respondendum sit, videatur in  
Responso Juris allegato Beringeri.

XV.

Supra §. X. diximus, quod celebrationi Missæ,  
à qua actus eligendi inchoandus, debeant omnes  
interesse, penes quos eligendi hodie potestas est,  
nimirum Electores: ubi quæstio institui potest, an  
etiam pontifex aliquas in electione habeat partes?  
Nos sequimur negativam, eo quod Papa inter Electro-  
res nusquam referatur, minime autem ab Aur. Bulla.  
quæ eligentes describit communi, imo speciali no-  
mine Electorum; inter quos Pontifex nullatenus re-  
fertur; quod inde patet, quod die illo, quo electio  
alicujus Regis Romani actu suscipitur, ex illo loco,  
in quo Electio instituitur, omnes illi, qui non sunt  
Electores vel Electorum ablegati, cujuscunq; digni-  
tatis sunt, discedere coguntur, etiam legato Ponti-  
ficis non excluso: prout patet ex continuatione bre-  
vis relationis, quid in Electione alicujus Regis Ro-  
mani in Civitate Augustæ vindelicorum à 25. Maji  
ad 4. Junii Anno 1653. accidit & quidem ex illis  
verbis 30. Maji. **Vorauß alsobald die Spanisch  
und Polnisch Botschafften sambt andern Fremb-  
den / wie gebräuchlich aus der Stadt sich begeben  
müssen.** Si enim Pontificis legatus non fuisset com-  
prehensus sub voce, andern Frembden uti nomina-  
tim exceptus fuisset: quandoquidem in sequentibus  
in terminis dicitur, **den letzten dieses Monats**

(Masi) verfügten sich alle Churfürsten (scil. præ-  
sentes) und deren (Electorum) abwesenden Abge-  
sandten auff das Rathhaus/ und nach dem sie sich  
in ihren Churfürstlichen Habit daselbsten ange-  
kleidet / ritten Sie in folgender Ordnung zu Sanct  
Ulrichs Kirchen.

XVI.

Falsissimum itaque est, Imperatorem Romanum  
esse Pontificis vasallum, & imperium nostrum ejus  
Feudum, impudentissimè etiam vicariatum Imperii  
sibi arrogat, & turpiter sibi tribuit potestatem Impera-  
torem deponendi, aut exauctorandi neque Ponti-  
ficis coronatio necessaria est ad confirmationem Im-  
peratoris.

XVII.

Argumentamur autem contra Papam hoc mo-  
do, cujus authoritas in Electione in lege fundamen-  
tali prætermissa & neglecta est, is ab ea plane ex-  
clusus est. At Papæ authoritas ita in electione &  
lege fundamentali est prætermissa & planè neglecta,  
E. Minor probatur *ex cap. 2. Aur. Bull. §. 2. §. 5.* Qui-  
cunque virtute Sacri imperii imperium administrat  
ille à Pontifice in nullo dependet, sed Imperator  
imperium administrat virtute imperii ut *ex allegat. §.*  
*§. c. 2. constat Ergo vid. Sixtinus l. 1. de Regal. c. 4. n. 10.*  
**Schönborn** *l. 5. Polit. c. 8. Paurmeister l. 2. de Juris-*  
*dict. c. 4. n. 5. 3. patet idem ex edicto, tempore Ludo-*  
*vici Bavari facto omnium statuum consensu confir-*  
*mato,*

mato, in illo sancitum est, Electum statim post Electionem legitimum Imperatorem censendum & nominandum esse, constitutâ simul læsæ Majestatis pœnâ, qui id negare ausus fuerit *vid. Granz. l. 9. Saxon. c. 15.* Nec obstat huic argumento, Panvinius docens de Com. Imp. edictum hoc tanquam insolens postea fuisse antequatum; cum illud falsissimum sit, uti testatur Maximilianus I. coram Statibus Imperii asserens, coronationem papalem Imperatori necessariam non esse, eo quod satis sit coronam ab ordinibus Imperii accepisse; etiam *Bodino l. 2. de Republ. c. 6. pag. 361. non diffidente, vid. Thom. Michael. de Jurisdic. conclus. 3.*

### XVIII.

Et quid tandem, si etiam ex hypothese concederemus coronationem papalem esse necessariam, nondum tamen Pontificii aliquid obtinerent potestatis in imperium, aut electionem Imperatoris. Siquidem Imperator non est Imperator quia coronatus est, sed quia electus est, ex electione nanciscitur potestatem, coronatio solum omnibus declarat, palam facit, illum electum esse. Electio est essentiale quid Imperatoris, coronatio ceremoniale, deinde quæ consequentia, Pontifex coronat Imperatorem Erg. habet in eum Jus & potestatem sive superioritatem. E. sine eo eligi & constitui non potest. Annon Electores Ecclesiastici coronavêre Ferdinandum IV. gloriosissimæ memoriæ, item Leopoldum

poldum invictissimum nostrum hodie Imperatorem?  
Ergo Electores sunt Imperatore superiores, habent in  
illum potestatem constituendi & deponendi absque  
cæteris Statibus? Ridicula consequentia est & in-  
epta.

### XIX.

Rationes quas adversa pars adducit vix dignæ  
sunt responsione. 1. Papam supra jus esse 2. à Deo  
eum super regna terrena constitutum, quæ pro lu-  
bitu transferat & auferat. *Jerem. 1. v. 10. Luc. 22. v. 38.*  
3. Propter expressos Juris Canonici textus *Can. 1. v. 1. dist. 22. cap. 4. X. de Majoritat & obedient.* Alia vid. apud  
*Cassan in catalogo Gloriae Mundi part. 5. conf. 9. Bellarm. 1. 1. de translat. Imperii & l. 4. c. 6.*

### XX.

Haecenus multa de personis Eligentibus à nobis  
actum, ratio instituti nostri requirit ut etiam agamus  
de persona eligenda ejusque officio. Nolumus au-  
tem hic agere de persona sive eligendo in nostro  
Imperio Romano Germanico, qui debet esse Chri-  
stianus, non Ethnicus, Laicus non Clericus, legi-  
timè natus non nothus aut naturalis, verbo, Ido-  
neus & optimus, prout omnis electio requirit; sed  
etiam ratione officii sive finis. Hic eum debeat  
esse, uti omnis Magistratus, subditos sibi subjectos,  
recte legitimè & salutariter regere iisque imperare,  
non solum ut Rex Romanorum, imperium virtute  
imperii administrare & conservare sed ut omnis ma-  
gistratus adjuvare debebit. Quæri-



## XXI.

Quæritur itaque hic, an electus Rex Romanorum potestatem habeat imperium sive potestatem actu administrandi? Ad quam quæstionem respondendum esse credo, non aliter competere illi potestatem Imperium administrandi, ac alias filio familias bona paterna vivo parente administrandi scilicet spe & futuro, patre nimirum mortuo non vero actu. Nisi pater ipsi specialiter aliquorum administrationem concesserit, aut eo absente, rem omnem commiserit. Non igitur pollet ea auctoritate & potestate Rex Rom. qua ipse Cæsar adhuc vivus.

## XXII.

Etenim Rex Romanus Imperatorem ceu Dominum suum & superiorem recognoscat, necesse est, ita ut eum vocet *Ihre Kaysersliche Majestät und Herrn*. Atque sic Regis Romanorum potestas præsentente Imperatore plane est invalida, & ipse eo forte absente vicarii sustinet personam. *Stephani l. 2. de Jurisdic. p. 1. c. 2. n. 54. Reinkingk l. 1. class. 3. c. 14. n. 48.* Quid? quod actus Majestatis exercere non possit, nec audeat. *Cluten in Syllog. rer. quotid. thes. 23. lit. e.* adeoque in feriis absque speciali mandato Cæsaris nihil validi concludere valet, uti rectissimè colligere est ex Caroli V. mandato speciali cum libera potestate concessa Ferdinando I. fratri de pace religiofa

ligiosa ineunda de Anno 1555. §. damit aber vid. Paur-  
meister de Jurisdic. l. 2. c. 5. n. 8. & seq. Myler in additione  
ad Rumelin. pag. m. 621.

### XXIII.

Quoniam vero non penitus contemnendæ ra-  
tiones à multis adducuntur, quæ Regi Roman. ean-  
dem vindicare solent Majestatem cum ipsius Impe-  
ratoris, unde *Reinkingk l. 1. class. 3. c. 14. n. 64. & seqq.*  
statuit Regis Romani Majestatem non diversam  
sed eandem numero esse cum ipsius Imperatoris  
Majestate, cujus exercitium præsentem, aut non im-  
pedito Imperatore suspendatur saltem, non verò  
jus Majestatis auferat. Hinc non tantum titulo  
Majestatis utitur, *Recess. Imperii decto 1542. §. swür-*  
*de sich aber jemand ic̄*, ac proinde in eum crimen Ma-  
jestatis committitur. Videndum est, an hæ ratio-  
nes istius sint roboris, ut evincant Regi Rom. Ma-  
jestatem proprie dictam competere. Quod attinet  
titulum Majestatis, quo utitur, dici potest, ex titulo  
ad rem titulo significatam argumentari semper  
non possumus, cum sæpe utamur titulo sine vitulo  
ut loquuntur: nam multi utuntur aliquo titulo  
provinciae alicujus aut regni, juris solum præten-  
sione, sicuti hoc Cardinalibus familiare est, & ta-  
men rei illius nihil habent. Aut dicere possumus  
Regem Rom. titulo Majestatis uti, jure & spe suc-  
cessionis, ut mox cingendum. Id quod nec jure ci-  
vili

vili novum, cum sponsa, etiamsi in domum nondum deducta, uxor quoque vocetur, tanquam mox deducenda, licet uxor revera nondum existat *l. 7. §. 1. ff. de Jur. Dot. Can. qui desponsat am 12. caus. 27. q. 2. Genes. c. 29. 22.* Sic hæres futurus dicitur hæres, licet testator adhuc vivus existat *l. 75. ff. ad Sc. Trebellianum.*

#### XXIV.

Ufus plenitudinis potestatis, aut ejus exercitium, nondum constituit Majestatem proprie dictam, nisi usus ille sit ex se, non vero ex jure vicario, quo jure utebatur plenitudine potestatis Ferdinandus I. à Carolo V. specialiter ei concessio; aliud autem est habere potestatem absolutam ex se, aliud habere eam jure vicario, *argt. l. 1. ff. de offic. procurat. Cas. l. 13. ff. de Transact. vid. Thomas Michael de Jurisdictione conclus. 29. lit. c. d.* Nec nostræ responsioni obstant verba dicti recessus 1542. **und für uns selbst** / cum ea restringenda sint ad principium **§. so hat demnach** pag. 297.

#### XXV.

Quod in illum crimen Majestatis committatur, non evincit illum propriam habere Majestatem, & quidem eandem numero cum Majestate ipsius Imperatoris. Nam idem crimen in vicarios Imperii ac Electores committi potest *vid. Heig. p. 1. q. 4. num. 21.* quibus tamen nemo proprie Majestatem tribuit. Committitur itaque in ipsum crimen hoc, ut in vicarium perpetuum, non ut in Imperatorem.

C

Valde

## XXVI.

Valde tamen stabilire videtur Regis Romani Majestatem, ipsa vox & natura Regis, utpote quæ in suo conceptu formali summam potestatem connotare dicitur, *juxta Baldum, qui in Proæm. ff. num. 25. colum. 2.* ait: Si quis intituletur Rex, dicatur habere supremam potestatem in subditos. & Successor Imperatoris ab Electoribus in Regem Romanorum electus non dicitur simpliciter & absque προσθήκη Rex, quæ denominatio alias supremam potentiam infert, sed cum apposito Rex Romanorum, ad differentiam Imperatoris adhuc viventis, cujus est tantum vicarius & certus post ejus mortem absque ulteriore Electione successor & Imperator. Habet autem se hic denominatio Regis Romani secundum potentiam, sicuti alias se habet denominatio successoris in Regno Hispaniæ, Infantis, in regno Galliæ Delphini, in Britannia de Wallis quamvis adhuc aliæ inter hos & regem Rom. intercedant non leves differentiæ.

## XXVII.

Reinkingii solummodo adhuc sententia ponderanda venit, qua statuit, Regis Romani Majestatem non esse diversam cum ipsius Imperatoris Majestate, sed eandem numero cujus exercitium præsentem aut non impedito Imperatore saltem suspendatur, non vero jus Majestatis auferatur. Quæ sententia, cum varias patiatur difficultates, eas in examen vocabimus  
(I.) Regis

(1.) Regis Romani Majestas & plenitudo potestatis, si eadem numero est cum ipsius Imperatoris majestate, aut erit æqualis, aut inæqualis, aut erit una eademq; majestas in utroque subjecto divisim, aut in divisim: Sed nihil horum videtur statuendum esse, non 1. quia Majestas in una eademque Republ. nihil æquale admittit, cum summa sit, uti ipse *Reinkingk l. 1. class. 2. c. 2. n. 232.* fatetur, quod Majestas proprie dicta, potestatis æqualis sit nescia. Non 2. erit inæqualis, quia dicitur eadem numero, quæ enim eadem numero sunt, non possunt sibi esse inæqualia, uti ex terminis notum est. Nec 3. in utroque subjecto existet divisim, quia hoc modo republ. Germanica non esset monarchica sed Dyarchia, quod est contra *Reinkingk*: deinde ponerentur duo infinita, quale quid dicitur Majestas esse *vid. Arnise. de Majestate l. 1. c. 3. n. 1. & 2.* Nec 4. indivisim ex eadem ratione, quia salva Reipublicæ, forma Monarchica duo in solidum absolutam potestatem possidere non possunt. *Bodin. l. 2. de republ. c. 2. à princ. Besold. de Monarch. c. 3. n. 4.* quæ tamen possessio in solidum hic deberet habere locum, cum una numero majestas statuatur atque sic indivisa, tum ratione jurium tum ratione subjectorum.

### XXVIII.

Dicis: nihil ergo Majestatis relinquetur Regi Romanorum, ut Regi? R. omnino illi quid majestatis relinquimus. Siquidem Majestas in duabus partibus

C 2

essen-

essentialibus consistit, nimirum in dignitate, deinde in potestate. Quod dignitatem attinet, Rex Romanorum omnia ea possidet, quæ Imperatori ipsi competunt perpauca immutatis *vid. Schütz in Colleg. Jur. publ. disp. 5. §. 4. it. disput. 3. thes. 9. lit. a.* Eligitur enim ab Electoribus in futurum successorem Imperatoris, ac prout sponsæ eadem tribuitur dignitas, quæ uxori, pariter etiam Romanorum Rex, ejusdem dignitatis cum Imperatore censetur, salva tantum gradus prærogativa.

### XXIX.

Quod vero potestatem attinet, non videtur alia ipsi competere, quam vicaria. *Vid. Paurmeister. de Jurisdic. l. 2. c. 5. Matth. Stephani de Jurisdic. l. 2. p. 1. c. 2. n. 51. Carpzov. ad leg. Reg. c. XI. sect. 5. n. 16.* quam non ab Imperatore, sed à lege per electionem acquisivit. ceu perpetuus Imperii vicarius, uti apparet ex verbis **Wir für uns selbst** *Recess de Anno 1542. §. damit solches pag. 300. vid. capitulat. Ferdinand. III. art. 49.* ubi legitur: **Wir sollen und wollen uns auch keiner Regierung im Heiligen Römischen Reich weiter unterziehen / denn so viel uns des von Keyserlichen Majestät vergönnet.**

### XXX.

Posset tamen tandem adhuc aliquid pro Reinkingk, unam numero Majestatem in Rege Rom. & Imperatore agnoscente adduci, quod ad ejus sententiam

tentiam explicandam faceret: nimirum si distingueretur inter Majestatis actum primum & secundum, ita ut actus primus respiciat Jus & essentiam Majestatis, actus vero secundus istius majestatis Exercitium. Negari sanè non potest illam ipsam Majestatem Regi in Electione tribui ab Electoribus, quæ tributa est Imperatori, utpote qui nullam habet, quam illam, quam ipsi per Electionem Electores tribuerunt, solummodo hoc accidente ab illa differente, quod Imperatoris sit conjuncta cum exercitio, illa autem non item.

### XXXI.

Dicis: absurda, quæ oriri dicebantur ex Sententia *Reinkingkii* 0. 27. eadem hic locum habere possunt, uti rem recte consideranti manifestò constabit. R. Hoc simpliciter negandum est. Nam sicuti alias Ens in potentia ab ente in actu, secundum naturam & essentiam non distinguitur, sed accidentaliter solum, v. g. rosa adhuc intra causas suas latens, non est alia, à rosa extra causas suas producta, secundum essentiam, sed tantum secundum modum existendi sive status, & sic accidentaliter; Ita Majestas quam ob præsentiam Imperatoris silere, & quasi intra causas suas latere adhuc debet, non differt à Majestate ea, quæ actu exercetur, & sic quasi extra causas producta est, sed solummodo accidentaliter. Sicuti autem ens in potentia & Ens in

C 3

actu

actu secundum numerum non differunt, sed solum secundum accidens: ita quoque Majestas multo minus secundum numerum different latens, & in exercitio posita. Nam hæc Majestas quæ est in ipso Imperatore, & tamen in actu non est posita, v. g. in Imperatore dormiente non est alia Majestas ab eo, quæ ab eodem actu exercetur illo vigilante; ita Majestas quæ tribuitur Regi ab Electoribus, sub conditione non exercitii: Imperatore vivente, dormit quasi, & alia non est, sed quasi evigilans, Imperatore mortuo nisi accidentaliter.

### XXXII.

Iterum dicis: Aliam rationem esse in Ente in potentia, & aliam in Ente in actu, quia illud non agnoscit duo diversa subjecta inhærendi, sicuti Majestas Regis Romani & Imperatoris viventis, quæ sunt subjecta numero diversa, quibus unum numero idemque accidens inesse non potest. R. Diversissima ratio est in accidentibus Physicis & Moralibus. Physicum accidens idem numero in diversis & separatis subjectis inesse non potest: an verò accidens morale, quale est, concessa potestas, numero eadem in diversis, distinctis & separatis subjectis esse nequeat, affirmare non audeo, maximè si accidens illud in genere consideretur, v. g. in multis millibus eadem numero potest esse obtinendi voluntas victoriam, quamvis secundum ἀριθμῶν philosophicam potius



tius diceretur, eadem voluntas vel generica vel  
specifica: quoniam identitas uti puto, hîc non me-  
tienda est ex identitate subjectiva, sed potius ex  
identitate formali.

### XXXIII.

Tandem tamen fatendum est, Majestatem Re-  
gis Rom. & Imperatoris strictissimè unam ean-  
demque numero dicendam non esse, secundum  
Philosophos, licet à multis *ἀνθρώποις* in Politicis & vita  
communi vocetur. Nos nulli aliquid præscriptum  
volumus, sed malumus aliorum accuratum judi-  
cium audire & sequi, quam nostrum ulli ob-  
trudere: qua de causa etiam plura afferre  
non placet, sit ergo cum DEO!

FINIS.

Qui

**Q**ui Proavos solos, qui stemmata sola recenset,  
Credatur indignus nobilitate sua.  
Ingenium generi junctum, Prudentia fama,  
Hoc verum vera Nobilitatis opus.  
Respice Palladios enses, solertia victrix,  
Hos decorat Phæbus, spicula doctæ gerit.  
Quod Musas generis, BEUSTI, secteris alumnas,  
Comprobat eximiis LIPSIA facta VIRIS.  
INCLITA JENA etiam tua docta specimina vidit,  
Quæ testis studii, Fautor amice, Tui.  
Nec satis esse putas bis conscendisse cathedram  
Hic porro ingenii pandere dona placet.  
Gratulor his ausis. Numen tua cœpta secundet  
singula, quo Patria sis decus atq; Tuis!

Generoso Domino Autori Con-  
victori suo dilectissimo  
L. M. Q. adpon.

PRÆSES.



**L**itera scripta docet quod sis doctissime BEUSTI  
Præclaris auctus dotibus Ingenii.  
Perge sicut pergis dabit en feliciter Alto,  
Flamen per sanctum JOVA tuis studiis!

Hicce Domino Autori officina  
offerre soluit

Paulus Weidlich / J.U. Stud.





ULB Halle  
006 681 956

3



V077







B.I.G.

Farbkarte #13

B. J.  
 DE  
 VENIENDI AD  
 PRÆCIPUO,  
 TIONE,  
 mensium universitate,  
 RATORE,  
 IFICO, NOBILIS-  
 CONSULTISSIMO,  
 NE REBHAN,  
 Aulæque Cæsareæ  
 rforum statuum Consilia-  
 d. Professore, Facult.  
 d. Seniore.  
*Patrono ac Hospite omni  
 aeternum devenerando*  
 ENNI  
*Examini subjicit*  
 FRIDERICUS  
 st / Eq. Thur.  
 Junii h. lq; solitis.

No: 29.  
 vor 1688 (2)  
 1688, 4.  
 20

Typis JOHANNIS

